

Tu es Christus ... Oportet Filium hominis multa pati.

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Marcum 8, 27-35

In illo témpore:

²⁷ Egréssus est Iesus et discípuli eius
in castélla Cæsaréæ Philíppi;
et in via interrogábat discípulos suos dicens eis:
«Quem me dicunt esse hómines?».

²⁸ Qui respondérunt illi dicéntes:
«Ioánnem Baptístam,
álii Elíam, álii vero unum de prophétis».

²⁹ Et ipse interrogábat eos:
«Vos vero quem me dícitis esse?».
Respóndens Petrus ait ei:
«Tu es Christus».

³⁰ Et comminátus est eis,
ne cui dícerent de illo.

³¹ Et cœpit docére illos:
«Opórtet Fílium hóminis multa pati
et reprobári a senióribus
et a summis sacerdotibus et scribis
et occídi et post tres dies resúrgere»;

³² et palam verbum loquebátur.
Et apprehéndens eum Petrus
cœpit increpáre eum.

³³ Qui convérsus et videns discípulos suos
comminátus est Petro et dicit:
«Vade retro me, Sátana,
quóniam non sapis, quæ Dei sunt,
sed quæ sunt hóminum».

³⁴ Et convocáta turba cum discípulis suis,
dixit eis:

«Si quis vult post me sequi,
dēneget semetípsum et tollat crucem suam
et sequátur me.

³⁵ Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere,
perdet eam;
qui autem perdíderit ánimam suam
propter me et evangélium,
salvam eam fáciet.

Verbum Dómini.